R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo più gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.

Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

98-106-10

TYROCINIORVM

BARTHOLEMÆI BVRCHELLATI

PARS ALTERA.

In qua ROSA, Epithalamium, Amor, Venatio, Aucupium, Luſus, Herbæ, Somnium, Cento, Venus, Seria, Ludicra, Amatoria, Excurſus, atque Epitaphia, neq; non paſsim alia ſatis uaria concluduntur.

PATAVII MDLXXVIII. menſe Ian.
Laurentius Paſchatius imprimebat
Ex licentia Superiorum.

Bartholemæo Burchellato iuueni optimæ Spei

M. Antonii Prata Legum Doctoris
tetrastichon.

Quid Rosa Burchellate tibi, atq; Roseta, Venusq;
Debeat, & Medica ars, Mercurialis ait.
Nam tibi non cessat Medici, Vatisq; referre
Supremum & lepidi nomen Amantis. habe.

RPJCB

Bartholemæo Burchellato Amico incomparabili

Antonius Vonicus Taru:

Præclarè exercens mentem fastigia recto
Laurea dulciloquens tramite Amice petis:
Sic tua percelebris uolitabit fama per orbem,
Sic virtute tua Regna Beata petes.

MAGNIFICO, AC PRAESTAN-
tiß. D. Hieronymo Mercuriali Foroliu: Pra-
xeos Medicinæ apud Patauinos ex
prima ſede profeſſori digniſſimo.

Bartholemæus Burchellatus Ciuis Taruiſinus S.P.D.

MVnus hoc prout ſimplex eſt, ita ſimplici animo demiſſum accipere ne graueris Vir clariſime, quandoquidem & Ego magnum donare uidear, cum maius quid haud forſan proferre ualeam, atq; eò magis Maximo ſi delatum Viro, læto (quod ſpero) fuerit acceptum uultu: neq; me puſilli animi, nec grandioris fuiſſe reor, cum auſus ſim puſillum opuſculum Doctori Maximo ultrò ferre. Ecquid ad hoc (utcunq; ſucceſſerit) peragendum me impulit? præter tuam erga omnes urbanitatem, præterq; meam in te debitam obſeruantiam? Vnde ſi quid in artium ſtudiis me profecturum contigerit, totum planè tibi referre acceptum non hæſitarim. Quis etenim Amorem, atq; humanitatem in ſcholares tui deuotos, quin & oberrantes, uerbis declarabit? ne dicam animo concipiet, menteue; aut cogitatione complectetur? Quapropter ſi modò ab aliquo tibi unquàm gratiæ ſunt habendæ, ſi acceptum deniq; aliquo pacto tibi unquàm eſt referendum, uix alterum me uno deuictiorem poſſe ad hanc uicem obeundam inueniri ſemper exiſtimaui: poſteaquàm illud omne, qd è molli ingenio meo

non dilapsurum cognoueris, & publicè, & in priuatis penetralibus magis summo studio, accurataq; diligentia mihi continue impartire non es grauatus. Exinde operis precium me facturum putaui (si quando uolucris sese occasio offerat) aliquem ingenioli mei conatum tibi aliquando demonstrare. Quò factum est cum his vernis temporibus è spinis hortuli mei has qualescunq; collegissem Rosas, ut tibi primùm Præceptor optime iuremeritò illas deferendas curassem. Quocirca eas hilari tua illa facie, quam nunquàm mutatam autumo, rogo ut accipias, & si quandoq; à grauioribus studiis, Vitalibusq; exercitijs te ipsum subtrahis, hos Roseos uersus oculis percurras oro. Vale Mercurialis celeberrime, Scholaremq; fidelissimum tuum diuturniori tempore amplexeris precor.
Patauij. MDLXXV.

ROSA

Caſtalidum veneranda cohors celebrata perenni
Carmine, quàm uigeat gratia, forma, lepos,
Quis dubitat? nam ſemper erit poſt ſæcula montis
Gorgonei indigenum gloria fama, decus.
Gratia, forma, lepos, petitur dum gramina Pæſti
Muſa legens calamo condere odora parat.
Tuq; amnis Bembo celebris Noniana Roſatæ
Incola percelebris ſis mihi fida comes.
ANNVA principio brumali compede terras
Contractas, reſerant tempora læta diù.
Cum primò occiduis Zephyrus perflauit ab oris,
Cuius ob aduentum germina cuncta uigent:
Auſpice nanq; ipſo terreſtria iura nouantur,
Fœdere firmato fœmina iuncta uiro eſt.
Quare concipiunt genitali ſemina flatu
Læta fouente, animam quoq; tenella trahunt.
Tardius, aut citius fœtu hinc grauiora tumeſcunt
Vt pro natura fœmina quæq; ſui.
Qui partus properant? quæ nàm ſolatia matri
Prorumpunt? flores mellifluiq; noui.
Flore renaſcentem pleno cognoſcimus annum
Vere, licet rigidos pellere tuncq; metus;
Germina ſed florem non mittunt quælibet, annos
Cum degant triſtes, ficus ut, ut corylus.
At quid ficus habet, corylus, quid pinus, & ilex
Inter puniceis compta uireta Roſis?

Est Rosa nanq; mihi facili tractanda camæna,
Quam dixere rhodon græci, Arabesq; naron.
Iurè rhodon græcis multum quia mittit odorem,
Frigida temperies quem fugat inde rosæ.
Hæc Vates cecinere priùs cur alba fuisset,
Quàm nato cynaræ capta Ericyna foret.
Nanq; id Zelotypus cum Mars sensisset, Ado
Confodit roseum, sæuus amãtis Amor. nim
Diuam quid Venerem miserando iuuit Adoni
Delitias omnes postposuisse sibi ?
Quò Cytherea uolas per densa roseta? precanti
Non aderas, remea, fluxit ad astra tibi.
Quis dolor? ah maculis ut quìd conspersa fluẽti
Sanguine, mirandum, sunt folia alba, rubris ?
Spina pedem celeris, (credat quis) ? sauciat ostro
Diuæ, quo subitò candida tincta rosa est.
Quid mirum, Veneris si uulnus floribus addit
Formã? etenim uitã morte ministrat Amor.
Hocq; rosis unum, nam cætera quæq; notantur,
Defuerat, similem quo æmularentur eum.
Mollis Amor, molliq; rosa, aurei utriq; capilli,
Sunt iacula huic, pariter spina sagitta rosæ.
Ipse Cupido faces rutilat, rosa roscida mittit
Fulgores, quales orta dat Alba rubens.
Alæ sunt Veneris nato, folia huic, neq; norunt
Tempus uterq; illi iurè dicata rosa est.
Sic Hiperionii rosa pulchra ẽ æmula Solis, dor.
Lux, calor huic, virtus; vis sibi forma. & o=

Iãq; rosæ innumeras ſpecies fortaſſe putabit
Hæc quis percurrens cernere, uana putat:
Non Trænestinas, Campanas, Trachiniasue
Cantabo aut Pæſti rura referta rosis;
Sed quas tuta tulit Claſsis Luſitana remotis
Ex oris, noſtris quæq; feruntur agris.
Summa duo faciam genera, & notisſima, cãdẽs,
Rubrumq;, hoc ſpecies quinq; habet, idq; duas;
Alba roſa eſt folio centeno ornata niuenti,
Moſchetta aſt paucis, ſed ſibi acutus odor.
Plures rubra tenet ſpecies roſa fulgida, primùm
Sunt Damaſcenæ, legitima, atq; notha.
Auricoma & Priſcis Mileſia, quæ duodenum
Non ſuperat folium, quæq; rubeta ferunt.
Græca ſimul (lychnim græci dixere) paluſtris
Eſt, quinum folium quæ ſuperare timet.
Græcula item latis foliis conſtricta dehiſcens
Vi, hanc ſemper naſci dixeris atq; ſenem.
Lactea quæ tandem referunt conſperſa cruore
Quæq; uireta ferunt, rudera quæq; roſas.
Iam mihi ſat fuerit rubicantem carmine florem
Ducere perpetuo, candida miſſa uale.
Nec tamen anatomen fugies, nam quod tibi deſit
Alba roſa infra alias eſt color, eſt & odor.
Naſcitur ex dumis potius, quàm frutice, quando
Per tumida erumpit germine grana libri.
Primò Alabaſter adeſt uiridis, ſenſimq; rubeſcẽs
Proſiliens ſpinis pyramidatus honor.

Hic calycis formam uino ſpumantis adeptus
Lacteq; permiſto, dicitur inde calyx.
In cuius gremio ſtrictas ut prodidit alas
Flos rutilus, ſupra ſtamina flaua micat.
Facta Roſa eſt. cortex ſed ubi? qui ſciſſus in orbē
Quinq; ſimul natos, diſparilesq; ferit:
Nanq; duo imberbes, barbam tres obtinuère,
Semiq; barba huius, totaq; barba duùm.
Cortice ſub uiridi eſt globulus, caput iſte uocatur,
Quod lanuginea ſemina ueſte tegit.
Inde ungues foliorum extrema propagine ſurgunt
Ducta. Veris honos integra facta Roſa eſt.
Quæſierit fortaſſe dolens quis florida carpens
Spina adiuncta Roſæ cur ſit acuta frequens:
Addita quò patulum egreſſum de cortice duro
Exhibeat teneris terrea ſpina roſis.
Seu poſuit Natura ſagax, quo ſeruet habenti
Ingenium florem ſpina moroſa uagum.
Mandabit ſi fortè roſæ quis ſemina terræ,
Ille ſenex tardè ſera roſeta comet.
Quare translatas ſatiùs foret abdere plantas,
Ramorumq; pedes findere ſæpe iuuat.
Paſtinatus ager ſat erit, ſat ruderus ille
Ruri ſiue ſeras, urbe uel, aptus erit.
Fruge magis, minus at uite ipſe roſaria plantes,
Profunda, argilla haud, haud tibi pinguis hu=
Si lubet ut multis roſa uitā proroget annis, mus.
Pes menſu mediet quemlibet urge pedem.

Inſta=

Inſtabili tum menſe ſeras, breuioribus actis
Scrobibus, inde putes menſe cadente comas.
Surculus aſt glociens pullis dum proſilit, infrà
Palmum uſtus foſſum ſciſſus et ītret humum.
Quòd ſi Vere roſam telluris fulgur amares
Primus habere, meas qua uenerère Deas,
Perfode perbinos palmos diſtantia in orbem,
Qualibèt & calida luce rigabis aqua.
Si tibi perpetuum libeat traducere tempus
Igniculos rutilos inter Amoris, agè.
Sit tibi arundo uirens terræ ſtans fixa repoſta,
Intrò calyx ſedeat uix folia ultrò ferens.
Temporis effectum fugit atq; alabaſter edacis,
Si olla rudis condat fulta relicta dio.
Si delectat odor, carpat quis luce ſerena,
Vltro recens redolet, proxima ſicca magis.
Allia ſi iuxtà fuerit graue olentia fulgens
Conſita, mirandum quàm ſit odora roſa:
Nanq; odor aufugiens inodora, receptus ad intrà
Emicat, ut tetro moſchus odore facit.
In folijs eſt impar odor, nam maxima, ſecum
Et minima his mediis dant potiora loca.
Præ cunctis odor ipſe roſæ celebratur, agyrtæ
Tonſtrinas ditant hoc ſibi odore ſuas.
His Veteres folijs fecère Roſalia textis
Primò, dein tota facta corona roſa.
Facta corona roſa, inde Roſaria ſancta Beatæ
Virginis in uera relligione uirent.

Hæc canerem ſi uerba forent ſatagentia uotis, mãs.
Sum quia ego & Chriſti Matris Alumnus A=
Sed canet hæc Monachus quandoq; Roſaria feruẽs,
Amplæ dum tractat ſacra uerenda ſcholæ.
Romanos ornaſſe roſis, myrtoq; ſepulchra
Inciſæ Antiquæ nos docuere petræ.
Sic etiam quondam ternas uoluere corollas
Ex myrto, atq; roſis cum morerentur ibi.
Legabant ædes, hortos, bona cuncta benigni
Priſci iis, qui offerrent annua ſerta roſæ.
Annia ad hæc teſtis Cornelia mirá, ſuperſtes
Quæ ſpreuit caro uiuere caſſa uiro:
Hæc etenim uiuens ingreſſa eſt buſta mariti,
Inſcribi tumulo talia uerba iubens:
Sumano, Vxoriq; ſuæ pia turba litanto,
Ornantoq; dein noſtra ſepulchra roſis.
Et roſeam Muſis Sapphum tribuiſſe coronam
Legimus, hacq; caput condecoraſſe ſuum.
Cæſari & auricomas feſtinas bruma coronas
Detulit, his regnant Bacchica iura roſis.
Fulgidula his ſimilis Virguncula floribus uſq;
Dum manet intacta Virginitate nitens.
His matrona, ſenex, iuuenis, gaudetq; puella
Compoſuiſſe comas, compoſuiſſe ſinus:
His Equites, iuuenes, ſeniores deniq; gaudent
Condecoraſſe aures, condecoraſſe manus.
Omnis iurè roſam fert ſexus, omnis & ætas,
Lilia, narciſſos, alba liguſtra minùs.

Et roſeam frontem, crines auroq́ nitentes
Auroram Vates Thuſcus habere tulit.
Sic color hic roſeus præ cunctis gratus habetur,
Humani ut ſpecies ſanguinis atq; cutis.
Pinguntur qnandoq; roſæ, quò gratus Amanti
Dulcia candidulæ pignora mittat Amans.
Ficus lacte ſuper foliis quæcunq; notato
Auro, aut carbonis polline deinde tege:
Tum cotto deterge, ſimul quæcunq; notata
Conſpicies, pingui lacte bibente notas.
Reddes atq; roſis uarium, ſiquando, colorem
Collibuit fumans ſulphur adeſſe tibi.
His anacliteria ornantur, menſæ, atria, ueſtes
Templa coronantur fulgida cuncta roſis.
Scorpius his genitus nunquàm, uelut ocima gignunt,
Eſt uiſus, Paphijs ueſpaue nata roſis.
His mella, his fomenta, olea, electaria cogit,
Saccara, ſyrupos pharmacopola ſuos
His calliblepharum, infuſum, cataplaſma, malagma,
Vinaq́, conſeruas, oxirhodina parat.
Quinetiam diapaſma facit collyria, fucos,
Extrahit & roſidas pharmacopæus aquas,
Præterea rotulas, anthera, enemata, peſſos
Farcit: Epicæna hæc quid numeramus ibi?
Nec mirum ſi tanta fiunt, quia prædita multis
Eſt roſa diſparibus partibus, & uariis.
Frigida nanq; gradu primo eſt roſa ſicca ſecundo,
Temperiem calidam ſeruat odora tamen.

Terrea pars acrem, tenuis tum præstat amarum,
Verùm parti aqueæ cedit uterq; sapor.
Innumeræ inde fluunt propria accedente rosarum
Vires ui, uariant qua omnia iurè uices.
Qualia non recinam, quòd siccet, stypticet aluum,
Frigus & inducat, roboret atq; rosa.
Hæc Medici quoniam fuso cecinère priores
Sermone, atq; noui doctius arte pari.
Sed ne diuini prorsus mea Musa liquoris
Sit uacua, experiar fundere lætus aquas.
Carpe puer, mellite puer rutilante niuenti
Alba purpureas sedulò carpe rosas:
Tolle canistra, refer calathos, rubicunda morãtes
Compleat hos Veris luxuriosa coma:
Eia rumpe moras: folia hoc segregata quasillo
Ponas, hoc quallo cætera funde puer:
Affer elambiccum, niteant hinc inde et ahenum,
Pyramis & naso longidiore suo.
Siue cucurbita adest uitro conflata, supino
Tegmine rostrato sume, linasq; luto.
Pars stillatorio insideat, manibusq; parumper
Conde, tegas, cingat mappa madore recens:
Pars remanẽs loca opaca petat, tege protinus urnã
Donec opus, testa, ne uolet almus odor.
Iam succende focis carbones, urere uites
Quin satiũs, salices, quadrifidosuè sudes.
Iam calidum sensère rosæ, iam tumidus humor
Erumpit naso latus ad alta fluens:

Porrige iam nitidam puer urnam, collige guttas
Styllantes,caueas ne rubra gutta cadat.
Ignis erit clarus,lentus,fumoq; ſolutus,
Mappa rigetur adhuc,cingat & uſq; caput.
Quis thalami roſei quot quot penetralia tentat
Gratus odor? roſeo ſuccus odore nouus.
Hora puer mutato roſas,nam gutta rubeſcit,
Cum nimis areſcat facta placenta tua.
Iam tibi æqualis adeſt plenus redolente liquore,
Contegat hunc claudens læua papyrus ouis.
Expoſitusq; oculo cæli irradiante moretur,
Ter decies Phœbus dum uagus orbe meat.
Optima iam tibi aqua eſt perfecta roſacea,iamq;
Utere,perfundas lintea, membra,comas.
Pellitur hac capitis dolor, & cephalalgia ſæua,
Pellitur ex oculis hac tenebra,atq; dolor.
Sæpius atq; roſis,uiolisq; retunditur amens
Ebrietas,leuiter frigido odore ſuo.
Siq; tibi inſomnes contingit ducere noctes,
Amiſſum ſomnum dant folia ipſa roſæ.
Vlteriùs prohibent muliebria candida, & atra
Profluuia,et ſtomacho,et uẽtre dolẽte iuuant.
Mira Albertus ait noſtri de ſemine floris,
Dum piſcatores grana locare docet:
Inquit enim,ſi grana roſæ per retia ponãt,
Piſces innumeros hi ſibi penè trahent.
Et,quod uix credam,Magarim bis uiuore crẽre
Muſtellæ,ſynapi,ſemine cumq; roſæ.

O virtus miranda rosæ, quæ uel quoq; præstat,
Vitam defunctis, ò aqua grata rosæ.
Lemnius hac fertur profusus coniugis arte
Iras in Venerem deposuisse graues;
Nam postquàm faber ingeniosus clausit Amantes
Rete sub incautos quoq; uidente Deo.
Cognouit lachrymis non sat cytherea furorem
Zelotypi meritum posse cauere uiri.
Quare Alabastrinum confertum sumpsit aqualim,
Irroransq; metus subdola corde fugat:
Nanq; senex, ueluti glacies liquefacta calori
Mollis item, parcens oscula reddit Amans.
Gratia quanta rosis, quæ virtus quærat ab Indis,
Qui sibi uult gratum reddere quemq; Magis.
Isti nanq; ducem pecudum lux publica mundi
Dum fouet, aut cæpit fulua leone coli:
Cum phiala rosida solem repetita ferentes
Verba salutabànt, quìs opus ijs fuerat,
Hinc oleo multis sacrato uocibus, atq;
Nutibus, ungebant os sibi docta cohors.
Cum cuperent Reges summos, sæuosq; Tyrannos
Reddere paccatos, munificosq; sibi.
Creditur his passi Tritonia fortis Vlysis
Naufragium succis ora liniisse Dea.
Haud aliter Venerem sancta Carthaginis æde
Aeneam Vates condecorasse ferunt.
Non recinam mitti uelut argumenta Salutis
Pontifice ad Venetos dona superba rosam,

Præteream narrare roſæ quod ſydus in alto
Cælo, quod ſignum nomine fertur item.
Mitto roſas hominem ex Aſino uertiſſe rudenti,
Prætereo & uires uoce cadente ſacras.
Iamq; tibi hos latices nitida de fronde cauatos
Conſecrat, atq; animum noſtra camæna ſuum.
O decus æternum Medicorum Mercurialis
Sume lubens, faueas dum ſtudioſus ero.

Epithalamium Paſtorale. Silenus.

NVnc Erato uenias cælo, ueniasq; Thalia,
Et gracilens referens Euterpe dulcis auenas,
Hocq; ſolo uiridi Silicæ cantabitis uſquè myntæ
Vos Nymphæ mecum ſacros Amarantæ & Amaryllidis Ignes, quando leuis grato loca murmure latè
Aura facit, lenisq; Silis gratiſſima, & ipſa
Inuitat Laurus placida recubare ſub umbra.
Hic nobis dicenda uenit ſuper omnia, Muſæ, res
Virgo Amaranta, ſuos, q̃, ut ſenſit iungere Amo
Eximijs meritis grati, & concordis Amyntæ,
Geſtit læta, & tanta capit uix gaudia mente.
Geſtiat ergo animis Hymen, pedè ſitq; ſecundo;
Alternis quatiant pedibus monticula rura
Paſtores, cantus recinant uariosq; uicisſim,
Atq; omni in triuio uitulos, hædosq; litantes

Et Cereri faciant ſacra, & ſolennia Baccho:
Pocula & expreſſo teneant ſpumantia lacte,
Feſtaq; ſaltantes agitent ſponſalia læti.
Hymen, Hymen, Hymen, terq; quaterq; uocatus
Iam ſolito nobis hilaris magis, atq; decorus
Ipſe pares referas tædas, & mutua dona.
O Hymenæe ueni, Venus eſt hic aurea pleno
Iam gremio opperiens te ſertis atq; corollis,
Et lauro, & uiolis, myrtoq;, roſisq; plicatis,
Quas donare parat lætis Amarãtæ et Amintæ,
Coniugio hoſq; pari iunget, cui non tulit unquàm
Par culta Arcadia, Aemoniæ nec florida Tẽpe.
Tu licet à noſtris pergratam finibus almam
Eripias Amarantam, alibi gratiſſima ſcimus
Ipſa erit uſq;, ſibi gratus dum uiuet Amyntas,
Immemorem fore ſe noſtri nec credimus unquàm,
Fac uenias igitur nunc Hymen, ô Hymenæe.
Ipſa puellarum pompa, comitante parata eſt
Fulgida adire lares optati coniugis almos,
Qui uiolis pictiq; roſis, hederaq; uirenti
Hinc atq; hinc compti ſplẽdent, ipſamq; morãtur
Hic Amaranta comis aptum radiãtibus aurum
Nexile, tum uiolas geſtat, tum florida ſerta,
Ingenuo, nulla arte quidem, ditata colore,
Faſtus ineſt humilis, pariter comitante decore,
Laudibus & ſummis ſapientia digna referri.
Iam uenias hilaris nunc Hymen ô Hymenæe.
Te Cytherea Paphus, Cyprus uenerantur; Athenæ

Te Pallas non tacta colunt: te Regia Iuno
Argiui; Ortygia lætaris Delia aquosa;
Sed tibi Taruisium, congestaq; quercubus alta
Rura dabunt Amaranta pares dignissima lau-
Dat tibi nãq; venus formã, Tritonia virgo des:
Pingere acu, tibi texta offert preciosaq; Arachnes
Te Regina Deûm augustos dat pandere passus,
Te celeremq; facit uenatrix Cynthia cursu.
Iam uenias hilaris nunc Hymen, ô Hymenæe.
En pater expectat cupidus, materq;, puellæ
Tum simul, ut sancta firmes connubia lege, tæ,
Atq; suam referas sponsam pulcherrimo Amyn
Qui iucundus abest, ipsam foribusq; reclusis
Iãdudum expectat, iuuenum comitante corona,
Qui simul ad soliti Iaculi spectacula sese
Certatim, saltusq; parant, cantusq; uicissim,
Præmia digna inhiat meritis ut quisq; dicata.
Iam uenias hilaris nunc Hymen, ô Hymenæe.
Tu solus qui tanta potes, qui gloria mundo
Vnica, qui iustè, & sanctè componis Amores:
Tu grandes habitare casas dignare puellas:
Tuq; humiles proferre casas dignare maritos.
Per te uiuit Amor diuturnus, perq; tenacem
Ipsa tui legem durat concordia semper
Mutua, sicq; genus seruatur nobile mundi.
Iam uenias hilaris nunc Hymen, ô Hymenæe,
Atq; facem Lauro, myrthoq; uirentibus affer
Ornatam: uerba ut ualeas solennia ferre,

Vtq; simul possis meritos donare iugales.
Iam uenias hilaris nunc Hymen, ò Hymenæe.
Verùm quæ nobis insurgit splendida Musæ
Pompa canẽs? Hymenæus adest, certè ẽ Hyme
Qui comites agiles uideamus, q̃q; choreæ, næus,
Qui cantus, pariterq; soni, ipsi quis comes adsit:
Esse reor Satyros, Panes quamplurima ouãtes
Qui comitantur eum læti, recinuntq;, sonantq; :
Ipsiusq; comes certè ipse Thalasius Almus. ta,
Sunt. venias noua nupta, cohors uenit alma cupi
Certatim resonent nunc tympana, iamq; choreas
Incipiant iuuenes in gyrum ducere Amantes:
Iam clamore nouo pueri geminate camænas,
Sancta simul cuncti durent connubia clament,
Donec erunt iterum clara de stirpe nepotes.
Collige Amynta tuã Nymphã dignissime sacrã,
Insolitisq; genis iam mutua basia dona,
Iã thalamos Tyrijs decoratos sumptibus intra,
Iãq; nuces spargant pueri, saliantq;, sonentq;,
Omine nãq; bono Hymẽ, atq; Thalasius adsunt.

Amoris Genesis Ex Platonis Sympos:

Magnus Dæmon Amor, Proteo quẽ dixeris esse
Vertumnouè satum, Cyrce, Hecateuè simul.
Mutat, mutatur, sapiens ignorat, amicis
Imponit, fatuus ludificatq; suos. dax,
Squalidus est, pulcherq; simul: bonus, improbus: au=
Pertimidus: diues, nudus: auarus, inops.

Dic Plato, Socratesue, sciensue Diotima dicas
Quo patre sit natus, matreq; noster Amor.
Nata Venus: Diui celebrant natalia mensis,
Hos Metidis Porus filius inter erat.
Postquàm cænatum Penìa petendo Ptochìa
Facta cibum uenit flebilis ante Deos.
Ebrius interea Porus præ Nectare multo,
Ad Iouis accubuit culta uireta satur.
Subdola quod Penìa uidens concesſit ad hortos,
Et passa est Porum concubuisse libens.
Tunc conceptus Amor Veneris uinosus ad aras,
Hinc Cerere, & Baccho deficiente cadit.
Paupertate igitur prognatus, Diuitiaq;
Est Amor, hinc uarius, dis, miser, odit, Amat.

Ad Amicos tunc temporis, iuxtà illud Horatij.
Quem Virum, aut Heroa &c.

Stylo quem tenui celebrandum carmine sumes
Musa Virum? audebis quam memorare Deã?
Vis tibi Candidulæ laudes præponere Lauræ,
Quam Natura parens uicerit Arsq; minùs?
Per syluas Bassum exercentem fortè Dianam,
Hectora seu clarum carmine, ferre cupis?
Dic dicam, Præscribe feram, mea quando uoluntas
Gestiat, etsi absit nobilis ille furor.
Fronte hylari ipse tua fisus generose Aproine,
Semper honoratum te altisonumq; canam:

Quem meritò Phœbus plectro donauit eburno,
Tradita ab Euterpe tibia cuiq; fuit.
Quis te Philosophum dignè satis efferet unquàm?
Admissum arcanis te meritòq; Deùm?
Quem te nunc Medicum referam? tu multa sopori
Corpora perpetuo seminecata rapis:
Testis adest scribens, morti uicinus acerbæ
Qui fuit, hocq; Deo Gloria, sitq; tibi.
Te ne silebo pium Schalam, qui carmine Musas
Dulcisono retines, uincis & arte tua?
Quàm comptus, promptusq; foret nunc Stylus ad oēs
Res celebres Schala mi auxiliante diu.
Forsan at innumeras dotes hebetata camæna
Francisci Cambi nunc reticere putas?
Orator sermone potens hic protinus almo
Intonat in terris nil Cicerone minus:
Ingenio, eloquioq; viros miseratus ab ense
Iustitiæ miseros abstulit, atq; rapit.
Hic Phœbo clarus, Phœbæ, pariterq; Minerua,
Sicut Mercurio splendet ubiq; micans. quas,
Urbis & hic Cardo: Atropos hunc per sæcla relinq
Ne incassum poscat tum pia turba Deos.

Clarissimo Ioanni Griti Taru: Præsidi inte
gerrimo. 1569. *Monocolos.*
Qui missus meritò tempus in ultimum
Has in Taruisii fermè miserrimas
Aerumnas populi: Qui miseris agri

Linquendi uidui fermè operarijs
Solus frugiferens alma Ceres ades;
Te Rector ſuperum ſentiat affore
Nobis curriculo temporis integro,
Prætor, dum ſatis incognita nemini
Soluantur merita indeficientia.
Aequam tu trutinam rebus in arduis,
Aequam tu trutinam rebus in infimis
Tractas, dc retines: iam tibi dediti
Scriptores celebrent pacis originem
Te, qui nobilium concilias virum
Mentes, qui radio protinus omnia
Vibrantis gladii peſſima comprimis,
Ipſis ſufficiens optima commoda.
Iam tempus notat hoc perniciosius
Qualem te exhibeas huic populo virum,
Vrgens quando Herebi filia comprimit
Infirmum populum iam tibi crcditum.
Index ueridicus ſic precioſius
Aurum ſignificat necne ſit emicans,
Ornat te pietas, ſacraq́ pagina
Ornant Caſtalidum dulcia fontium
Libamenta, quibus præmia percipis.
O clarum mihi ceu numen Apollinis
Sumas interea quod dare carminis
Auſit Grandiloquæ Magnificentiæ
Curis ſollicitis ingenium meum
Oppreſſum aſſiduis, atq; negociis.

Hoc ſi contigerit, ſicut in intimo
Extat ſpes animo, grandia forſitan
Cæpturus Genius contrahet halitum,
Muſarum ſtudio conuenientium.

Ad eundem.

Alme parens, populum rutilis qui ſplendidus alis
Infeſto incolumem protegis hoſte tuum.
Ecce uelut cæli Domino precioſa tenentes
Tritica dant largè diſtribuenda tibi, bor?
Maximè Ego aſt uinctus tibi reddere nonne tene=
Accipe ter Prætor ſtaria dena libens.

Ad D. Ioſephum Policrettum Cento.

Quàm ſtudeas Policrette meis ſaluere lituris
Iuſſus, quidue pares conflatum promere ad ædes
Tot ſtudijs, tantisq; tuis, Ego protinus, ut mos
Extat Amicorum, cupio cognoſcere primùm,
Quàm tibi perq; dies dedit, atq; ſilentia noctis
Muſa ſibi, atq; alijs uerſus celebrare canoros:
Suſtineo ipſe equidē uix tanta domeſtica facta,
Nedum operā Muſis ualeo dare doctus amæ=
Attamē inuitis decreui hæc ſcribere factis, nis.
Vt noſtrum propenſum animum virtutibus eſſe
Cognoſcas, etenim mihi contigit iſta quietis
Promere temporibus cum luce fauentis oliuæ.
Ipſe tibi referam Sileni falſa cupita
Somnia uera ſibi, quæ nobis rettulit inſtar
Cornicis niueis decoratæ purpureisq;
Multarum uolucrum plumis, uariisq; figuris

Atq; tibi ante alios, qui fictos noscis Amores
Carminibus, uisum est mihi eos recitare fideli
Quarè animum studiis libeat reuocare remissis,
Et faciles paulùm præbere his uersibus aures.

Somnium Sileni.

Fortè sub apricæ Silenus sederat umbra *virg. egl.7.*
Arboris, hic poterat reperire inolentis oliuæ *Lucr.2.*
Naturam suauem, quam mittit naribus Aura, *& cauda pa.*
Et Phœbi innuptas Lauros radicibus imis: *Pãph:sax:*
Excitat hic somnos crepitantibus unda lapillis *Oui.11.me.*
Aura uiam præbetq; leuis per membra quieti. *vir.8.Ae.*
Huic timidi solamen erat lœuissima Amoris *idem*
Florida quæ passim de collo fistula pendet: *3.Aen:*
Quarè ibi flectenti insolito pro pondere corpus *Cat:in nup.*
Atq; caput uiridi optanti submittere in herba *Oui.3. met.*
Somnus adest, subitoq; illi est distracta partus *Lucr.4. de*
Uis animæ, recidunt palpebræ, mortis imago est. *somn. Cato*
Ad quem tunc roseo Pallas diuinius ore *vir.9.Ae.*
(Nube recãdẽtes humeros sibi amicta uidẽda) *Hor.od.2.1*
Incumbens tereti ramo sic cæpit oliuæ. *virg. egl.7.*
Alma dies Silene uocat sacratior omni, *Mart.4.*
Si cupis optatam facilè contingere metã, runt. *Hor.in arte*
Nec dubita, nunc rumpe moras, nunc tẽpora q̃= *virg.9.*
Tẽpla coronantur fulgentia nostra Mineruæ, *Ouid.8.*
Ornanturq; hederis ornantur uirgine Lauro, *Mant.*
Myrthus oliuetis, uiola atq; ibi plurima montẽ *Hor.od.15.*
Fertilibus circum uarium dispergit odorem. *secundi lib.*
Hic tibi certa domus, cessit timor omnis & ira, *virg.8.*

Hic tibi, quæ forma præstantior ipsa sacerdos	*idem primo*
Nomine digna meo sapiens celebrata Minerua,	*Silenus*
Coniugio iungam stabili, propriamq; dicabo,	*Virg.1.*
Inq; uicem dabo uester Amor sit firmior omni,	*Luc.x.*
Dum Lunæ Solisq; uices uariabilis annus	*Sabell:*
Sentiet, & current annosi sydera mundi:	*Seneca ïæd.*
Et dabo perpetuùm deducere carmina secum	*Ouid.i.met.*
Posse linenda cedro, & læui seruanda cupresso:	*Hor.in arte*
Quarè agè nunc mecum crines præcinctus oliua	*Vir. 8.*
Carpe uiator iter super alta cacumina montis.	*in eius uita.*
Palladiosq; ueni latices libare Mineruæ.	*Ouid.8.*
Omina tanta sequar Pastor sibi dicere uisus	*Vir.9.*
Processit, comitemq; ausit se adhibere Mineruæ	*Idem.8.*
Ipse celer, casta redimitus tempora oliua.	*Tib.3.ele.4*
Flores submittit suaues gradientibus illis	*Lucr:*
Tellus, ad partesq; citò uenere remissas	*primo.*
Montis, ubi arduus est, altusq; per ardua callis.	*Iginius*
Quarè lætantis Sileni fulgida Pallas	*Silenus*
Paciferæ manibus ramum prætẽdit oliuæ.	*Vir.8.*
Atq; triumphanti præcingit tempora lauro.	*Quintianus*
Quò simul ascendit cupidus Silenus Amore,	*Ouid.7.*
Hin cor & inde nequit loca læta explere tuendo:	*Virg.8.*
Palladia exultat Sylua redolentis oliuæ:	*vir.geor. 2i*
Miratur medium claro de marmore templum,	*Prop.2.*
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat.	*Oui.2.met.*
Hoc infra argento fulgent, auroq; renident	*Lucr.2.*
Et cytharis reboant laquearia splendida tecti:	*Virg.8.*
Constitit ante fores subitò formosa sacerdos	*Ouid.7.*

Com=

Communemq; uocans Diuam tunc talia fatur. Virg.8.
O cui Virgineo flaueſcere contigit auro bunt Mart.9.
Atq; hederæ, & Laurus cuius ſacra tẽpora lã Perſ.ſat.1.
Caſta pudicitiam ſeruet domus iſta per annos, vir.geor.2.
Donec erunt claro fixa, & uaga ſydera cælo. Strozza pa:
Hic adſum, quia fata locum, comitemq; tulere, Virg.11.
Huic ubi fata uocant fas ſit me credere ſorti, Oui.ep.did.
Quantosq; ipſa fero languenti corde timores Cat.in nup.
Tu dea, tu præſens miſerosq; expellere dolores. Vir.9.
Noli animum macerare tuum Tritonia contrà Ter.ĩ and.
Dixit, at intrepido ſis deprecor uſq; Minerua Cato.
Me tribuente feres munus tibi nanq; petitum. Ouid.2.me.
Continuò celebratus honos, lætæq; puellæ Vir.8.
Diffuſis de more comis cecinère ſonantes: Idem.2.
Pars capita atq; manus grauidis oneratur oliuis Ouid.7.
Pars & eas carptas aris præponit amænis. Hor.od.7.i.
Interea medium templi Dea fulua tenebat. Virg.5.
Et dixit Silene ueni, ueniasq; Minerua: Silenus
Quò ſimul, hæc capita auratis decorauit oliuis: vir.3.Ae.
In ſolium niuea uelataq; ueſte reſedit, Oui.2.met.
Hosq; intuta duos effatur talia ſecum. Vir.10.
Hæc quia lux oculis eſt optatiſſima ueſtris, Oui.ep.ari.
Et quia pfectum uideor comitari Hymenæum Lucr.1.
Quãdoq; fata uocant me intrà penetralia cæli, virg.7.
Accipe daq; fidẽ Silene, et Amata Minerua: virg.8.
Palladis hoc templum uobis Tritonidis uſq; Lucr.6
Sit curæ ueſtrum dum uiuet uterq; uiciſſim, Oui.ep.ari.
Syluaq; ſed tutò, tardè creſcentis oliuæ, vir.geor.2.

Et tiliæ molles, & fagi, atq; innuba Laurus, *Ouid. x.*
Cui Zefiris agitata nihil uiridantia Tempe. *Hor. od. i. 3. ca. in nu.*
Ipſa venus certo ſit uobis fœdere caſta *Hor. ode. 24. 3*
Baccaq; cum ramis ſemper felicis oliuæ, *Oui. 8. uir. 6.*
Dum matutinos prædicet lucifer ortus. *Seneca in æd.*
Hic æſtus liceat uobis & pectore curas *Horat.*
Carminibus, nimiumq; graues depellere ſomnos *Sat. 2.*
Sileni hic Thalamus fuerit, Thalamusq; Mi= *Silenus*
Dixit, et ad ſupos auris profecta reſectis (neruæ. *Vir. 9*
Quarè adeo ut tonitru quatiantur murmure tê *Lucr. 6.*
Viſa relaturo grates, quòd concita læti *pli. Catullus in*
Mens deſerta fuit fallaci languida ſomno, *nupt.*
Hocq; diù lachrymans oculis mærore profudit. *Virg. ult.*

Reuerendo M. RVDBERTO Dominica=
no Theologo Præd,

Grati animi Reuerende meis ſaluere Magiſter
Carminibus iuſſus, munera parua tene.
Ingenuo ſcito me ingentia pectore dudum
Condere, quæ intrepida præparo mente ſequi.
Ipſe utriuſq; mihi Naturæ arcana recludens
Cauſa es, ut hæc prorsùm pergere cæpta uelim.
Nil mihi nil faciunt numeroſa numiſmata, librum
Si tantûm intueor, nil mihi uilla, domus,
Virtus ſola mihi apparet ſubſtantia, longè
Proſpicio, accedant cætera & inde uiro.
Hanc amplexurus, ceu caram ſponſus Amantem
Tendo libens ſtudiis diſcere amari ab ea.

Hac maris Euganei fruitnrum nulla pericla
Me terrent, rapidus Medoacus q̃ minùs.
Sic iuuet Omnipotens, an ſontem exaudiet? eia
Illum pro me ora tu Reuerende pater,
Eccel. Medico D. Nicolao Curtio Brix.
Impiger Heſperiis auidus mercator ab oris,
Comparet ut merces, Indica regna petit,
Nullæ illum illecebræ cauponum, nulla uoluptas
Detinet, id tantùm quod ſibi poſcit iter.
Surgit ad aßuetos Phœbe ſplendente labores
Agricola, ut referat munera parua domum,
Fert mercator opes, lucratur, ruſticus æuo
Non intermiſſo grandia parua facit:
Quid ne ſcholaris iners, hoſpes quem quislibet aſtù
Et ſcortum retinent, morbida membra, iocus?
Deterior certè, loculos poſt tempus inanes
Cum referat, uacuus quo magis æger eget.
Prouidus æratis aufugit littora Vlyſſes
Auribus, incaſſum Circe uocante virum.
Sic docuit ſummus Medicorum Curtius artem
Cum peterem, ualeam quìs retinere modis
Ars ea in arce ſedet, propera tibi amanda, ſophia
Poſcit iter quantum det, det acuta logos.
Inde Ego quam caleas Medicinã ſplendide Curti.
Compertus, petii filius eſſe domi,
Non grauibus fultum mediis tentare iuuauit,
Veni ego, tu optanti uerba cupita refers.
Iam uenio ſequitur q̃ pedes mea munda ſupellex,
Salue huius medicans temporis alme decus.

Excellentissimis Paterno, & Curtio.
Ode Dicolos tetrastrophos.

Ergo cesso Paternum celeberrimum
Quem totus recolens orbis ab ultimis
Zonis mittit, ut ardentius audiant
Discentes hominem, ut Deum ?
Cesso audire, frequentare domum, modos,
Congressus, methodos sperno, & Apollinis
Artes despicio, quas modo nobilis
Argutè docet artifex ?
Absit; nanq; ferinis Ego moribus
Non sum præditus, aut sensibus hæsitans,
Quin omnem uideam ipsum ac statuam virum
Doctorum abdere syndromen.
Ast occasio præceps mihi obtulit,
Quod non longa dies annuit inscio,
Dum me Curtius almus tenèt, obtigit
Ut vir par fuerit viro.
Docti ambo, celebres ambo Theorici,
Hora una, unus ego auditor, hi duo
Lectores, sequor hunc, hunc teneor sequi,
Quem conuiua loquor diù.
Ambos ipse colo, ambos ueneror viros,
Summos, teq; Paternum rogo, ne improbum
Me credas, rogo fidum celeberrime
Curti amplectere filium.

Excellentiss. ac Nobiliss. PROMOTORIBVS meis usq; quaq; Doctiß.D.D.Iun: Paulo Crasso, Bernardino Paterno.Francisco Picolomineo. Hieronymo Mercuriali.Hieronymo Capiuaccio. Bernardino Tomitano. Mariano Stefanello. Albertino Bottonio. itemq; Bernardino Triuisano, ac illustri Comiti Iacobo Zabarella Dominis meis colendiß.

CRASSE senex, numero Medicorum qui super omni
Ornaris meritò, gratis habetur opus.
Clare PATERNE, tuo qui splendes usq; Galeno,
Mi pater es, gnatum conde benigne sinu.
Qui PICOLOMINEE enodas arcana Sophiæ,
Grates ipse tuus iurè Scholaris ago.
MERCVRIALIS aue Medicorum splẽdor, & artis,
Dum legis, aut scribis, seu medicaris, aue.
Tu, mihi clara ferens insignia Doctoratus
Me Roseo laudas ore, ualeto diù. *Eta*
Affuit Archiatros CAPIVACCIVS huic bona cun
Dent superi, hoc etenim mors superatur atrox.
O Vates TOMITANE sciens, tu iurè reportas
Disceptans, pangens, omnia puncta, medens.
Mi STEFANELLE, tuam praxim quia psequor aptam,
Bis iterum grates reddo, faueto mihi.
Sic tibi BOTTONI grates mea Musa rependet,
Sæpius & tecum congrediebar enim.
Siq; alios mihi nunc licuisset habere mouentes
Tu TRIVISANE, & tu ZABARELLA fores.

Miles eram ſiquidem Comitis per caſtra Sophiæ,
Tum Triuiſani Praxis amica mihi.
Vos Pataui ſplendor ſtudii feciſtis Alumnum
Veſtrum Doctorẽ Philoſophum, ac Medicum.
Omnibus inde animo grates operaq; repetendam,
Dum potero, & promptus dum iubeatis ero.

Magnifico Arpo Nobili Taruiſino

VENVS.

Miraris fortaſſe tuas cur perſtrepat aures
Clangore inſolito noſtra Camæna rudis:
Arpe ſcias non una fuit mihi cauſa loquendi
Sed multæ, & ſimiles, præter Amoris opus.
Vnicus es viduæ natus generorus honeſtæ,
Vnum me viduans mater honeſta tenet,
Solus es Arporum de ſtemmate maſculus almo,
Burchellatorum mas ego ſolus item;
Quarè diuitias ſolus comprehendis amitas,
Ipſe bonis potior ſic ego fermè meis.
Ambo præterea ſchola eadem luſimus annis
Tranſactis, Muſis pronus uterq; ſacris.
Materies autem forſam damnabitur iſta,
Vt quæ te doceat quod bene noris agens. las
Ne dãnent Medicum medicas dum tractat opel
Iſti, nec Dominum quemq; monere ſuum.
QVI cupis armiferi ſeponere pignora Martis
Et Veneris caſta mente ſubire iuga,
Hæc pariter caſta conſultus mente notabis,
Quæ tibi deſcribit noſtra Thalia lubens.

Corporis imprimis crasim sectabere cuncti,
Parcus eris, ne quid tum patiare nimis,
Sobria nam uictus ratio fœcundat aduscę
Semen, & eiectum prolificare facit.
Crapula, & ebrietas, temulentiaq; efficit ipsum
Sperma infœcundum, debile, molle, & iners.
Quin etiam ingluuies natos producit inertes,
Et male morigeros parturit inde uiros.
Humida non igitur duntaxat sperma ta sunto,
Sed bene quæ constent, crassaq;, tum grauia.
Ergo qui sobolem procuras, utere parce
Uino, nec tenui, sed tibi posce merum.
Præterea comedas alimenti opsonia multi,
Prolue nec calida corpora sanus aqua
Fert ætas iuuenis Uenerem, nec terrea Auctor,
Cunctandum lustris qui tulit esse decem,
Nanq;, puto, uoluit quòd terminus iste dicetur,
Ne ulterius Ueneris castra pererret homo.
Abstineas precor usq; die, quo menstrua currunt,
Et nisi siccata ritè matrice petas.
Nec, licet adfuerint uires generose potentes,
Noctes atq; dies concubuisse uelis,
Imò diem mittas, nox est magis apta labori,
Quem Cupido indulgens poscit amica Venus:
Nec tota est operi incumbendum nocte uolenti
Inde uirum nasci, qui sit imago patris.
Forte uirum cupies etenim plãtare, superstes
Quo fortunato duret auita domus,

Intermißa diù Venus iſtud præſtat, & inde
Sæpe ſenes diſcas progenuiſſe mares.
Aſſiduus coitus fæmellas fert, citò canos
Profert, mensq; leuis ſit tibi, uoxq; tremens.
Ludicra damno ſimul cythereia, quando fameſcit
Oeſophagus, dapibus ſi pariterq; grauis.
Inde chylum uenter, iecur & prius egerit, atq;
Aluum, ueſicamq; exoneraſſe iuuet.
Siq; labor feſſum te reddidit, aut tibi ſudor
Emanat, Venerem deſine Amice precor.
Aeſtate abſtineas dum uis permittat, & ætas,
Sic & in autumno parcus adibis opus.
Verè aptum veneri ueniens Ver utile tempus,
Vere retenta nocet facta uenena venus.
Nec damnatur hyems, quia tunc magè prurit ephæ-
Fœmina ſed prurit ſole calente magis. *bus,*
Quòd ſi nocturna tentigine rumperis, eugè,
Lactucæ ex uino ſemen honeſte bibas.
Et Venus imbellē lactuca abſcondit Adonim,
Quòd reprimat dulcem lactea planta Deam.
Impleat hinc uitex, ruta, & nymphæa cubile,
Sic & Aphrogeniæ mens releganda tibi.
Inguina torquatos hebetantes ſume palumbes;
Lamina ſeu lumbos plumbea cingat age.
Præterea menſis erucas iurè ſalaces
Cæpe, fabas remoue, lac, cicer, oua, nuces.
Ormina quinetiam deſint, cum cappare pinus,
Gingiber, aſparagus, menta, galanga, crocum.

Allia

Allia, nec porri ueniant, bulbiue ſalaces,
Oſtrea, nec cinaræ, nec ſatureia tibi.
Si te forte petit mæror, pete munera Diuæ,
Sæpe melancholicis profuit iſtud opus;
Obfuit iſtud opus, neruorum ſi dolor adſit:
Deſinat heu venerem tarda podagra precor.
Tum caueas animoſe locum mutare uirorum,
Hernia ne erumpat, peius & inde fluat.
More ſuum fugias poſt terga ſubare modeſtus.
Stans pedibus pariter nemo coibit iners.
Te excipiat caſtum cum caſta uxore cubile,
Non ſcamna, atq; una ſemina pone uice.
Concubiture pedes contectos ſemper habebis,
Ne pedibus nocuum frigus obeſſe ſinas.
Hinc non illepidè Clinopale nudipedalis
Domitio fuerat flaccida dicta venus.
Hoc unum poſtremò notes, quòd crebra reſoluit
Vires, rara venus concitat uſq; tuas.

Reuerendo Præsb. D. Antonio Vonico Philoſopho. Deliciæ.

Symbola me inuitant pronum Reuerende vonice
Ad te ut nonnunquàm littera noſtra meet.
Dicere quiſq; tamen poſſet, quæ ſymbola? non ne
Es Medicus? non ne eſt præsbiter ille ſacer?
Is ſciat eſſe aliud, quo iſthæc ſympathia ſurgit,
En ſophia, en mores, Relligioq; proba.
Quattuor ante dies hinc dixi me Coneglanum
Tunc petere, & tecum poſt fore uelle diù.

Iamq; expectabar rediturus, quando ſodales
Ad noua me rapiunt delicioſa bona.
Quid precor iſtud erit dices? Venatio, curſus,
Aucupium, iaculum, canna, baliſta fuit.
PRIMA luce fui ſocijs ter quinq; Mareni
Venatum, ò quot nos detinuère ioci:
Sæpe ex inſidijs leporem deprehendimus infra
Surgentem ſurgum, uel milium, uè rubum.
Currere tunc campo ſaliens impulſus aperto,
Hinc Sericana uolans, inde Maniſca comes.
Fortè Ego naſutis canibus, dum luſtrat aduſq;
Noſtra cohors ſurgum, ſtans foris aptor equo.
Proſilit ante pedes lepus integer, ipſe Lyciſcam,
Quam teneo, ſoluo, prorſus equumq; cito.
Tanta fuit leporis fuga, tamq; Lyciſca uolabat,
Lora Ego quòd manibus linquo, uolatq; & re=
Trãſiluère rudẽ foſſã, currẽsq;, timẽdum, (quus:
Noſter equus ſequitur, miſteteruntq; comæ.
Nanq; uorago ingens erat hæc, tamen indè ego tu
Vltrò ſequor leporẽ, cãpus apertus erat. tus
Dentibus huncq; canis iam ſuggillarat aduncis,
Cum poſuit luctans præda ſiniſtra moram.
Verge Lyciſca pedẽ, milia ĩdica iã propè condunt
Prædam, ſi fuerit quæ modo præda tibi.
Iã latet, ò iuuenes copulas nunc ſoluite cunctas,
Eſt lepus iſte uetus, ſunt latebroſa loca.
Heus ohe Martelle cita, Naſute requiras,
Maure hunc deprehẽdas, hunc uide, cerne, ui
de.

Hic cubat, ò ſocii cautè diſponite ueſtros
Exploratores, eià agè curre lepus. ſca,
Aequor habet campi, Sericana, Lyciſca, Molu=
Veſpa, Maniſca, Hecuba, hunc, hunc capiatis
Vertage odore canis uertas hunc, arripe, ceſſit (aues.
Inde lepus, uergit, uerge Lyciſca pedem:
Eſt mea quæ tetigit, tua non, mea præterit omnes,
En mea quam rapida en, en mea nonnè uolat?
Oh cecidit, prior eſt Hecuba, heus citò currite quãta
Iam ſocii eſt circum facta corona canum:
Da laniant, mandunt, rapias Tortone trucidant,
Heus uenabulo agas inde Zanarde canes.
En miſer, en quantis inflictis morſibus egit
Hìc animam, quantus renibus adſtat adeps:
Iam procul à radiis, quos mittit Syrius ardens
Sub nuce Lyæo quæſo litemus ibi.
Factum: nonne alium tunc Oppicus inquit agemus
In campum leporem? currere nonne iuuat?
Tunc Ego, cui inſolitus labor hauſerat oẽ uigoris,
Iam dabitur tempus, ſat precor iſtud erit.
Vidimus interea ſaltantes forte puellas,
Dum gracilis ſonitum mittit auena rudem,
Siq́ animi ut uires, ita corporis aucta fuiſſet
Virtus, duxiſſem tunc ego ritè choros:
Iam nos hora monet redeundi ad limina, prædam
Quattuor in partes iamq́ ſecamus eam. ſcant
POST era lux oritur, neq; enim lux, quãdo coru=
Innumeræ ſtellæ, Lunaq́ fulua micat.

Vttiam petimus, liceat turdaria dici
Sic, ut iàm uulgò, nec ſcio id unde tamen.
Virgula per pedicas uiſco conferta paratur,
Et per conciſos ſtat crebra uirga ſudes.
Hinc folioſa caſa ornatur reuocantibus aptè
Turdis, ad medium noctua ſtatq; tacens.
Interea madidos Orientis candìda poſtes
Tithonis Coniux læta recluſit ibi,
Cum turdi merulæq; ſimul, taciturnus ut auceps
Sit, fritillantes commonuère citæ.
Fulgura non adeo miſit Salmoneus audax
Concita, ut in caſſes concita ceſſit auis.
Iam calami uolucrum plumis hincinde plicatis,
Implicita & calamis garrula turba cadit.
Quid tentas incaute tuas extendere pennas?
Nonnè uides uiſco iam magis eſſe graues?
Pondere quæq; ſuo grauis æthera linquit, humiq;
Concidit, hinc ſaltans amite abire parat,
Exirent celeres, ſed retia protinus intrant,
Retia quæ fictum circuière nemus.
Ire foras nobis licuit tunc, hoſq; fugaces
Inſequimur, feſſos quos rapuiſſe licet.
Bis iterumq; nouos turdos reuocamus ad iſtum
Luxum, dum merulæ, noctua, auena iuuant.
Iamq; domum ſaturi, his ſaturandi tendimus, hoſq;
Deplumes faciunt Lazara, Marta, Roſa,
At quid ego in menſa loquor? aufugit iſte trium-
Apparent rari, iamq; uolauit auis. *phus,*

Repſimus hinc læti per dulcia rura Feleti,
Omnibus eſt collis dulcior iſte ſolis.
Pendet hic uua rubens croceos imitata colores,
Et dulcore ſuo dulcia mella ſimul:
Caſtaneæ mollés ſpinis librantur acutis
Nunc ſupra numerum, iam poſuère nuces.
Aſcenſu feſſos, deſcenſu, caſtaneisq́
Vuisq́ & dulci muſto abiiſſe iuuat.
TERTIA uenit item lux, iſta dicatur amænis
Herbis, radici, floribus, & foliis.
Nanq; priûs miſſa audita dum ſole madentes
Herbæ ſiccantur, frigida & aura fluit.
Cum Cadubrino noſtro peram, atq; ligonem
Geſtante & calathos, hæreo pranſus equo.
Auia tentamus loca plura, & peruia multa,
Donec equis noſtro Sol horizonte ruit.
Radices folia, & flores, herbasq́ coègi
Inſimul, & fructus, ſeminaq́, & lachrymas.
Hæc inter Cyclamen duros fracture lienes,
Et cum phylliti, lepidioq́ ſimul,
Eſt nardus, Lauri & cortex, eſt anthemis, atq;
Menta, ſena, & cardus, quìs iecur arte coquat.
Nec deſunt ſtomacho abſynthi coma grata, & ane
Uerbaſci flores, aurea uirga, rumex. thi,
Stæcas, ſerpillum, chamepytis, baccharis, iris
Colligeris, capiti quò auxiliére graui.
Ponitur aſclepias, hinc oxalis utraq́, myrtus,
Ruta ſimul, cordi quìs iuuat arte ſciens.

Dictamnum.coſtus,bunion,meliſſa,ſabina
Additur,atq; meum,menſtrua ut ipſa uocent.
Mox ſolitum petimus tectum farragine facta
Ex Eupatoriis,ex Veneriſq; comis.
QVART A luce ſimul pranſi,ſclopo,atq; baliſta
Sumptis,ad turdos repſimus uſq; citos.
Hinc uecti duris ui attractis arcubus,atq;
Aptatis iaculis noſtra baliſta ferit.
O quoties latitans per frondes turdus opacas
Se poliens recinens fronde cadente cadit.
Longius ex ramis ſiccisſimus indeq; puluis
Detrudit merulas igne fugante pilas.
Currere tunc feſſi.ſpacioſo & ludere campo
Ad metam palo cernimus, atq; pila.
Inde cadente die cæna expectante ſedemus,
Hanc poſuit Vates uafer,acutus,Amans.
Inter aues etenim turdus fuit arte paratus,
Inter quadrupedes gloria prima lepus,
Iam ſatis hæc,Nonis adero,ne abiiſſe notarer,
Dum moriturus inops quis cupit æger opem.
Peſte laborantes craßante uoco morituros,
Quos Veneta ad noſtros Vrbs tulit uſq; pagos.
Hanc(quod adhuc fecit)ſeruet Deus optimus Vrbē
Vnanimes ciues oro precemur.Amen.

Excellentiß.Vitali Vitalio Auuncu
lo amantisſimo.

Quid faciam penitus ſum neſcius alme Vitalis
Cogito dum mecum meq; meosq; lares:

Prorſus noluerim ſponſam traducere, quando
Liberè agens uitam ſeruus adire paro:
Conſulit id pariter Sophia, ac Natura ſuperſtes.
Longius ut filum Parca moroſa neat.
Aſt ætas nona trieteride fulta, ſuperq;,
Et res lata domi conſulit inde ſecus.
Hocq; magis, ſolus quòd maſculus ipſe meorum:
Hinc Burchellatis nullus adeſſet honos,
Primò nanq; domus conſideret, ac moreretur
Me extincto, & quiſnã, uah, bona noſtra feret?
An fortaſſe uirum dabitur non tollere, quis ſcit?
Seminat agricolens, ſperat, & exit opus.
Speramus pariter nos ſi recolamus agellum
Pergratos fructus tempore habere ſuo.
Pompæ nil terrent, Medicus ſum non faber, inde
Sit medius ſumptus, non magè, non uè minùs.
Nec ualeat, coniux uolet aurea cuncta, puellus
Non ego, ſed quod vir maluero ipſa uolet.
Sunt homines ſcimus, quibus eſt parere lupatis
Curæ, atq; uxores lora tenere ferunt.
Aſt dum vir ſuperat, Sophiæ, Genioq; uacabit,
Atq; domus dominus ſic erit ipſe ſuæ.
Conſilium fortaſſe bonum, aſt ubi talis habetur
Fœmina, quæ grato pareat una viro?
Taruiſii, atq; alibi, quæ nolunt; nolumus illas,
Quod uolo ſi una uolet, dum uelit, ipſe uolam.
Hæc tibi, amas etenim, Doctiſsime Auuncule cur
Vt quid habes referas tu mihi, opẽq; feras. ſim,

Re: D. Franciſco Turchio Priori Carmel: Taru:
De inopia Poetarum. ode tricolos tetraſtrophos.

VERSUS canentem ſylua negotiis
Vult liberum, qui commoda ſentiat,
Illiq; præſtò ſint auita
Per famulos, uacuusq; cantet:
At ſi urbe uerſus præcinere aureos
Is commorando maluerit, ſibi
Anguſta res extet domiq;
Quid faciet miſer hic poeta?
Hinc inde Mecenas ſibi quiſpiam
Quærendus, hæc ut ritè neceſſitas
Tollatur, atq; is poſſit andax
Ludere tum meliore talo.
Tu quippè felix iurè negotiis
Cunctis ſolutus dulcia carmina,
Faſtosq; ſacros imperando
Relligioſiùs uſq; uoluis.
Vix ipſe carmen ſurripere audeo
Dum ciuitatem curro negotiis
Complurimis, & patre caſſus,
Mater & eſt mihi cum ſorore.
Dices nè, Mecenatem ibi quempiam
Qui ſubleuet, qui ſarciat inueni,
Qui donet, ornet, qui tenello
Vati alacres alacer det alas?
A me abſit hoc; quamuis hilarem virum
Nunquàm datorem comperias: neq;

Ipſis

Ipſis egenis dant habentes;
Vah miſeri iſti inopes poetæ.
Vah quot tenentur continuè artibus
Mæcanicis incumbere pauperes,
Qui mira tractarent opera
Temporis haud ſubitura damnum.
Hoc lætor uno, quòd fuero priùs
Verè ipſe Mecenas aliis, priùs
Donabo, quàm donabor: hocq;
Omnipotens uelit adiuuare.

Bartholomæo Carpanio Gemmario Nob.
Conciui meo obſeruandiß.

Grandis Amice, lares qui me liquiſſe paternos
Diſcupis, ut Venetis ſim nouus ipſe medens:
Ne conere precor mihi commoda tanta referre:
Et maiora puto, quæ mihi nolo tamen.
Mater cara, Soror dulcis, Cognatio, Amici,
Et fundi, atq; domus ſunt mihi in urbe mea.
Deliciæq; meæ rus almum Charitas, unde
Mi luſus, fruges, uinaq;, pomaq; paro.
Sæpe ſuburbano hoc peramæno rure, ſolutus
Curis, aufugiens ciuica facta, fruor.
Hinc nec opes Craſi, nec me Attalus ipſe moueret,
Dextera dum nobis ſint bona dicta uale.

Ad Deiparam Virginem B.B.C.T.

Balbus Adhuc Regina Tuis HOlocauſta Locabo
Excipe Munificens AEdibus Vſq; Sacris.

Bis Venit Reparata Cadēs HEu Lurida Labes.
Acta Tibi Virgo Sancta, Cupita Tege.

Ad Ludimagistrum apophoreta.

Regia non dopo tibi munera dignus eisdem
Quamuis sis, uersus do peponemq; pyra,
Si pyra pauca forent, si incomptaq; carmina, parcas
Pauca pyra & nobis, ingeniumq; rude.

Ad murem.

Sufficiunt mihi facta domus agitantia mentem,
Suntq; nimis, fugias muscule parue precor.
Illa bonum tandem referunt, tempusq; quietum,
Tu rodens cathedram tædia damna facis.
Fac abeas, ni fellis adest, capietq; uolentem
Mox fugere, at nullum crede patebit iter.
Spernis, ades fellis, curras leuis, aspice murem
Hunc rapias gratum fac mihi, facq; tibi,
Carpe fugit, latet inde, ueni, uenit inde, uolato,
Fellis ades, ne tenes ungue, tene, unge labra.
Quid miser exclamas? remeas modo, sisq; morosus
Qualis eras, rodas rodere quanta potes.

Ad Priapum.

Cur alios seruas hortos, nostrumq; Priape
Negligis? est etiam noster amænus ager.
Nanq; ibi sunt flores, insuntq; cydonia densa,
Quid melius? Laurus, lilia fulua, rosæ,
Arce oro fures, arces uelut ipse uolucres,
Ni ueluti corui munera fœda dabunt.

Ad Geruasum.

Cur ſemel in totis ſeptem Geruaſe diebus
Cum bene manduces ſtyptice penè cacas?
Sicut adhuc numis creuiſti, an creſcere tentas
Membris? diſrumpes, ſæpè ſyphone caca.

Arcum tendens.

Vah pharetræ pereant, arcus, crenæ, atq; ſagittæ
Accedant calami, charta notanda, libri.
Hos noui, his utar, per quos ego carmina pango,
Non noui aſt arcus dum mihi tundo manum.

De laruato qui cecidit in puteum.

Altius an puteo ferrum laruate recenſe,
Mensus enim utrunq; es dum ſine mente ruis.
Eſt ferrum fortaſſe feres, ui ſcandere nanq;
Cogeris, at putei tendis ad ima uolans.
Altior aſt ferro puteus, nam tempus utrumq;
Sumpſiſti exanimis tractus ad alta miſer.

Hieronymo Tartheſio Cremonenſi Scholari contubernali. Endecaſyllabum.

Quòd montes pariant ferunt poetæ
Mures ridiculos petulciores;
Credas, bibliotheca nanq; noſtra
Quodam monticulo ſatis decora,
Emiſit minimum repentè murem.
Hic, dum totus eram datus libello
Stetit ſub pede, quem inſcius peremi.
Quarè ſum dubius quid inferat mus.
An forſan mala cogitans iniquè
Mens de tot ſtudiis meis, negante

Me pessundabitur meis probatis?
Seu quòd me studium uocat superne
Ad maiora, minora nanq; triui.
Tu si quid retines feras precamur.

Magnifico Camillo Bethignolo Nob. Taru:

Scire cupis querulus cur sim Bethignole: notato
Isa, Polixena adest, & Margaris unica causa,
Margaris orta foro, castro Isa, Polixenaq; urbe,
Margaris ast Liuii, Frãchi Isa, Polixena nostra
Margaris ex medico, medico Isa, Polixena Iatro.
Margaris arte ferit, forma Isa, Polixena Amore,
Forma Polixenæ, Amor quin Margaris, ars tenet Isæ
Isæ Amor, arsq; Polixenæ agit, noua Margaris ætas.
Pulchrá Polixena abi, Isa uale, en face Margaris æ-
quat.

M. M. M.

Si mihi Mercurii dum scrinia tracto potentis
Ampla bonis hilaris Mercurialis ades.
Cur mihi Mercurii non detegis abdita, quando
Voluo libros? etenim Mercurialis ades.
Crederis ergo quæ amans studioso Mercurialis,
Scrinia Mercurij condis auara mihi?
Quid faciam? aufugiam conspectum Mercurialis?
Sed quì Mercurius uota fouebit? agè.
Perfice Mercurij doctas tibi pandere chartas,
Cuncta feret mirum Mercurialis opus.

Ad Valerinam hystrionem à multis cantatam
ode dicolos tetrastrophos.

Non tibi dicam ſpeculum reſumas
Arte confectum, faciem uenuſtam
Cernere ut poſſis, & Amoris arcus,
Atq; ſagittas.
Arrogans unquàm tua nec ſoluta
Lingua præſumat proprias referre
Inclytas laudes numero uacantes,
O Valerina.
Cæterùm uellem tibi conſcienti
Arte non factum ſpeculum pateret
Intimum cuius meritò uideres
Omnia belle.
Os ſonaturum tibi num ſit alma,
Siq; diuina uigeas uideres
Mente, læteris Veneris, Dianæ,
Palladis atq;
Munere, & laudes tibi concinentes,
Quas dicant Cicni celebres Camænis,
Sint tuis factis tibi congruentes
Nec nè pateret.

Ad Iuliam P. iuxta illud Horatii.

Quis multa gracilis te puer in roſa.

Quis iuuenis formoſus amans tibi Iulia collo
Pendet dans rubeis oſcula grata genis?
Quem celeras auidum tibi deuincire tenellum
Smegmata cum uiolis plurima odora ferens?
Heu incaute puer, quo te trahit una uoluptas
Fiſum blanditiis, fæmineisq; dolis,

Iam iam auersa uide tibi tela, facesq; misello,
Heu miseram expectat quanta procella ratem:
Perpetuum tibi credis Amãs fore dulce qđ hauris,
Heu sorbillabis quanta uenena dein.
Sic fert cæcus Amor, uersat sua regna petulcus,
Ah quibus, ah miseri sic speciosa nites:
Gaudeo quàm mecum bello cessisse nefando,
Exauctoratum meq; tulisse pedem.

Ad eandem Strena.

Nostratem meus anserem daturus
Est seruus tibi hic unicum, referre
Scito non peto gratiam labores
Multis tu mihi gallicis perennem.

De Natali Die

Nunc ueni Iacche edera circundatus, ipse decoram
Præfultus Lauro sis mihi Phœbe comam.
Liberiùs liceat natali ducere nostro
Sortes, & talos, carmina, uina, iocos.
Aeternum crines rutilos gestatis uterq;,
Sim per uos iuuenis longiùs ipse precor.

Ad bibliopolam.

Quot mihi corradis de prælo carmina pandens
Libras, tot uendas bibliopola libros.
Xenia erunt reliqui Dominis donanda benignis,
Atq; bonis socijs apophoreta meis.

Ad librum

Qui morulæ impatiens morem geris heus liber, ohe:
Morologùm morsus, uulnera, puncta feras.

De Lucia Nou:

Lux ſolis, laterna ſolo, lex unica cæli
Lucraris lucem lucida luce tua,
Lucia nam latitat, licet extet lucida lampas
Victa calore tuo, non ita luce tua:
Quòd loca ſi longinqua meas, lux lucida Lucia
Liberè agit, ſuperat lux ſua tuncq; tuam,
Lucifer heu lucem lubeat laxare tepentem,
Lucat lux ne urat, Lucia lucet ita.

Ad eandem

Lucia cur latitas, dum Phœbus conſpicit orbem?
Cur abeunte Deo lumina quæſo beas?
An quòd idem Lucina facit, diciq; Diana
Sic cupis, ò patuit lux tua, luce, ueni.

De tali puella

En doleo, malum medicum mea iurè puella
Dicitur, eſt etenim uah Medici ipſa malum,
Eſt Aurantia item, forſan quòd confluat aurum
Eſt opus, en, Medici Aurantia pelle malum.

Multum Magnificæ Mulieri MAMmeæ
Manliæ Mauræ Mihi Munificentiſs.
Mãmea Mãma mihi mãmas mitiſſima monſtra
Mitte meis manibus more mouere meo.
Mitte metum matris, me mauult mandere meſſẽ,
Me mater multùm, munera mira, manet. tas
Mane mea, mea mamma meas mihi morbida me
Mota, matura, Mammea mitte moram.
Me miſerum, mea mẽs meditatur millia, multum
Melliſluens meditans Manlia mæſta manet.

Mærorẽ mea Maura malum mihi maxima mx
Mirandis malis metra mouere modis. tes
Melpomene mortem magnatum mæsta minatur ,
Maior Melpomene Mammea mæsta mihi.
Mera minax morsu, mutatrix Metra Mephitĩ
Me mirare malam, mundo medendo magis:
Maura Medusa mihi Mauro me marmore mutas
Mitte moram, morior mẽbra macrata migrãt.
Mẽtitur mea Musa, meat mea Maura, madẽtẽ
Me mandat mappa Mammea mira manu,
Murmure multifido moniti melimela, mariscas
Metimur meritò, munera, mala melos.

Sequuntur inferiæ quædam, ac Epitaphia indies conscripta.

D. Ioanni Baptistæ Burchellato Patri meo dulcissimo morienti. 1564. B. B.

Conquereris moribunde parens discedere natum
Destituens cassum te sibi ritè duce.
Quid mihi proficient logices elementa dolore
Traiectus querulo quæris amate pater.
Proh dolor, hinc abeas nullo turbatus Amore,
Siue dolore, febris cum peracuta premat.
Angelicos mirare choros tibi sanctius actæ
Vitæ gestantes præmia digna tuæ.
Me fortasse Deus te illum exorante iuuabit,
Iam dabitur, spero, mente quod ambo tenent.

Epi-

Epitaphium Doctisſimi D. Hieron. Schalæ Præceptoris mei.

Fletus abeſt fætum mulier dum protulit, adſunt
Lætantes, etenim luce fruetur homo.
Prima hominum Natura parens quàm prouida mor
Vt fini haud hominem iunxit, at ut medio.
Quo uita fruiturus erat poſt acta perenni,
Ah, mors ſola bonos ſegregat una malis:
Schalam percelebrem hæc æterno tradidit æuo,
Lætemur, moritur nanq; ibi nullus homo.

Inferiæ ad tumulum Excell. Med. D. Franciſci Aproini. ode dicolos tetraſtrophos.

Lumen præcipuum Delficus artium
Adſis nunc facibus, menteq; lugubri
Cum Libethridibus mœſta ſororibus
Plectro carmina concinens.
Virtutum facilè dicere principem
Quarumcunq; potes nobilium, polos
Seu uis æthereos cernere metiens,
Scrutariuè recondita.
Fœcunda hunc referas Phœbe memoria,
Facundo alloquio, menteq; præditum,
Gaudentem numeris, ſiue poematum,
Seu uis uoce canentium.
Cantes, hancq; animam ſuſcipe ſedibus
Cœli ſydereis, quando recedere
Nobis omnipotens uult; dare triſtia
Hinc reſtat pia funera.

Hinc restat lachrymas tergere sæpius
Frustra de madidis Taruisium genis,
Atra ens mors rapuit nobilium virum
Excelsum Sophiæ caput.

Excursus super eiusdem Aproini Figura.

DIuisus huc illuc ãius, admissi auditores doctiss. iãdudum me ab hac ingenua prouincia alienum detinuit, quin Sapiẽtiss. D. Francisci Aproini præclaram mentionem facturus, cum quadam nobili arrogantia uerba proferre auderem condigna. Verûm quãdo diebus elapsis Excell. D. Hieronymum nepotem ipsum de studiis huius temporis allocuturus adiissem, ad exedræ huius ingressum uiso signo hoc artificiosissimo, imò potiùs apprimè naturali, non potui non erubescere æqs, ac in penetrali meo miseriam huius almæ Ciuitatis deflere. Quarè, nobilium ingeniorum circumspecta corona, de Excellentiß. relato Aproino sermonem facilem, nec prorsus uacuum me inchoaturum, & breui terminaturum rogatos uelim uos omnes audituros non criminari, quòd si mea humilis oratio accommodatam aurem non merebit, huius saltem nobilissimi ciuis merita penitus meritabunt. Ast quod Ego maioris ponderis onus me susceptum possem promittere, cum hæc ualeam penè infinita, ac propemodum innumerabilia promouere? quoquò me etenim uerto huius clarissimi Medici dotes, officia, experimenta pariter, ac virtutes longissimo hinc inde inter

uallo eluceſcere fit conſpicuum: quiſnàm eſt inſcius hunc ſingulariſſima & abditiſſima quæq; naturæ acri mente, cenſorioq; iudicio in propria eſſentia complexum fuiſſe? quinimò cælos intellectus acumine ſubtiliſſimo interiùs penetraſſe? Qui mihi faciles præbent aures ipſius perſpicuas, nec minùs utiles orationes magnificè, ac opportunè prolatas in medium, ſæpe de cælis, multoties de Anima, plerumq; de Deo Opt. Maxi. tam egregiè iuxtà catholicòn accommodatas cum attentione admirati atteſtantur. Hæc uera profectò philoſophia, non ſolûm naturæ arcana, atq; abditas rerum cauſas perſcrutari, ſed, quod Plato annuit, profe renda edoctum proferre, & tacenda periclitationẽ audientium paritura ſilentio comendare, quinimò cimerijs, quod aiunt, tenebris libentius inuoluere, ac condemnare: Iſtud uſq; adeo perfectè Doctiſſimus Aproinus eſt aſſecutus, ut peripateticorum, Academicorumuè Principi comitem ſe præſtiterit non indignum. Cæterùm cedat modo paulisper Diuina philoſophia, quò ad eius effectus aliquos, ac nobiliſſimæ Medicinæ expectatus pcurrã: Nulli abditum non ſum neſcius, quàm luculentiſſima & in oratione ampliſſima flumina ab hoc perenni, dicam, fonte commodè deriuaſſe uniuerſa ciuitas gratuletur, nec illa tantùm domeſtica, ſed conciuilia plurima feliciter deguſtamus. de his diutius progreſſurum plurima opera, atq; ea Excellentiſſ. & penè infinita huius ſapientiſſ. Medici uolentem irretiunt, & me quaſi nolentem ſurripiunt: ſiqui

dem tàm clarè eluxerunt, tamq; è longinquo delegarunt ſplendorem ſuum, non dicam huic Ciuitati cum Caſtris ſuis, ſed orbi terrarum ipſi Sole propemodùm lucidiora huius experimenta, quôd ſanitatis ergò, quaſi ad Epidaurium Aeſculapium confluentes, à cunctis ferè partibus dum profuturus in humanis degebat, ppetuò fores patulas homines conterebant, illumq; flexis genibus, ut numen aliquod, religione non futili ſupplicabant: quos adeo animi ſatisfactione munitos, & corporis ſanitate corroboratos redeuntes qui admirabantur, hunc cœlitùs ad morbos hominum radicitus extirpandos fluxiſſe, atq; ipſorum mentes doctrina ſanctiſſima imbuendas manaſſe, fide prorſus non dubia dictitabant. In ipſo profectò tria illa, quæ conſummatum Medicum reddunt, celeritas ſcilicet, ſecuritas ſimul, atq; iucunditas, cum quantitate dein ac tẽpore accommodatæ tanquàm ſpeculo quid oppoſitum, perſpicuè noſcebantur. Cæterùm quid loquor, aut ubi? quis etenim noſtrùm ipſius diuinam mentem pariter, ac medellam fuit unquàm expertus, atq; ab ipſis ambabus utilitatem inquàm maximam non fuerit aſſecutus? ipſe ego per illius potiſſimam manum ſtygiis bis ſurreptus fuiſſe profiteor: at non ipſe duntaxat, ſed per me nunc ciuitas tota ac regio uerba faciens, ab illo ſanitate ſæpius donatas fuiſſe ingenuè profitentur. Quapropter nulli abditum quanta fuerit huius Magnificæ Ciuitatis, totiusq; Agri Taruiſini iactura cum Excellentiſſimum D. Franciſcum Aproinum uitã

tum morte commutantem, immortalem profectò uitam, nullique corruptioni obnoxiam in cælis assecutum audimus; siquidem uolens quis Sanctitatis, Prudentiæ, Iustitiæ, Fideique egregium specimen certa cognitione tenere, huius probè noti sapientiam explorans viri, ipsum continuò intuebatur. Iure optimò uenirèt in medium virtutum, disciplinarumque laudes ineffabiles, ut dein uirtutibus illum ferè omnibus apprimè præditum summum ac omnium nobilissimum meritò prædicarem, sed hic non est pro nostra uirili parte congruus conatus, quando itidem Excellentissimorum hominum testimonia penè infinita non desint. non absimili ratione de maiorum suorum antiquitate, moribus, ac doctrina dicendum esset, ut quemadmodum fortes fortibus pariter doctos ac celebres uiros à sapientibus ac illustribus prognatos fuisse monstrarem: quod quidem ipsimet de Aproinorum Stemmate in utroq; genere Doctores nobiles reipsa, ueluti Medicus hic admirabilis fecit, diutiùs usquequaque attestantur. Quocircà aliud quid auribus uestris non dissentaneum me breui elogio percursurum audite. Effigies hæc, quæ nostris præsefert oculis, auditores integerrimi, tantum in intuentium mentib. parit miraculum, uti & qui incognitum uident, & qui in posterùm sunt uisuri relatum ipsum non nisi sapientissimum fuisse inhumanis dicant, & sint dicturi, quinetiam apertissimis rationibus ueritatem huiusce modi professuri: dum etenim formosi sapientis speciem admiramur, formosam iti-

dem animam illam habitasse perspectum est. Ast quæ coniuncta admirationem pariunt, disiuncta, eaq; singula placeat uideamus. Cognitum uobis scio capillos in sacris litteris pro animæ cogitationibus accipi consueuisse: hinc illud, capillos capitis nostri numeratos esse, cogitatus nempe nostros omnes Deo innotescere: Verùm quando cogitationum aliquæ sint optimæ, nonnullæ autem malæ, ideo superfluæ, inde capillorum diminutio; atq; eam à Deo progressam in glabello hoc capitulo scire integrum est, Quocircà non nisi superuacaneas cogitationes in Medico Aproino iandiù fuisse prorsus sublatas maximè est iudicandum; Subinde uenustos oculos in microcosmo articulorum omnium præstantissimos, ac pulcherrimos, actuum omnium moderatores, iustitiæ ipsius, ac moderationis exemplum potissimum in ipso fore decernendos sciatis Auditores; Quid dicã de supercilio contemplationis hieroglyphico? nisi illum sublimium, diuiuarumq; rerum contemplatione detentum fuisse? quid de adapertis auribus referam? nisi ipsius in Deum propensam obedientiam. quid de naso coniiciam? præterquàm sacrarum litterarum sagacitatem proficuam. Cæterùm barba minimè est nobis silentio prætereunda, ut, & huius rei finem expectatum aliquando faciamus, quapropter barba viri illius signum apud veteres habitum, qui non sexu, sed virtute ipsa longè alius à fœmina reperitur. Aesculapius itidem prolixa, atq; ea intonsa utebatur, uti, & hominis meritum patefieret, & quæ se-

mel oriuntur ſerius aut citius in ſenium mortemue fo re neceſſario dilapſura; In quo quidem Aeſculapio li= buit mihi orationem hanc terminare, cum alter Ae= ſculapius extitiſſe in terris Excellentiſsimus D. Fran ciſcus Aproinus continuè cognitus ſit, perinde atq; ab omnibus propemodùm eius nomine fuerit iuremeritò ueneratus.

In mortem Excell. Leg. Doctoris D. Franciſci Cambii. ode dicolos tetraſtrophos.

Vdis cæruleo flumine Naiadum,
Et ſiccis pedibus monte cytheridum,
Vatum nobilium deniq; nobilis
Mærens huc properet cohors,
Nymphæ iam triplicem cernite Cynthiam,
Muſæ Calliopem conſpicite unicam,
Scriptores celebrem noſcite Apollinem
Aeternùm requieſcere.
Ergo illum triplici cingite pampino
Albæ adſint ederæ, myrtus amabilis,
Cum Lauro uiridi, nobilis hic fuit
Omnis palma ſcientiæ.
Siccemus lachrymas ò pia Ciuitas,
Lætemur, ſolium ſydereum premit
Iandudum Angelicus Cambius omnibus
Exemplar meritiſsimum.

In obitu Mag. D. Antonii Brixii neq; non parer= gòn ſtrenui viri D. Sergij Aedepolenſis Nobilibus Taru:

Taruiſi

Taruiſi miſerum, quàm miſerabile
Te ſpectant homines nempe ſuperſtites,
Cum Mors terribilis nunc tibi ſtrenuos
Effræna arripiat uiros.
Hæc præter reliquos enſibus, & togis
Inſignes, rapuit, proh dolor, unicam
Antoni ſpeciem Iuſtitiæ & boni
Ciuis lurida Brixij.
Heu, doctum rapuit, ditem, humilem virum,
Nec ſignum petijt Delius alterum,
Poſtquàm Magnificum Sergium Auunculum
Furata eſt Equitem Sibi.
Felices animæ, quæ ambroſia ſimul
Confertæ reputant cælica munera
Conferre omne bonum longiùs improbo
Hoc ſæclo miſerabili.

Reu: Priori D. Nicolai pro morte R.D.
Florij Hyſpani.

O Dux nobilium dicere luminum
Quid madens lachrymis, atq; negociis
Curuatus, pariter lumine præuio
Orbatus potero miſer?
Inſignem rapuit peſſima Florium
Mors ſecum rapiens optima ſæculo
Præcepta, heu dociles iam ſibi paruuli
Fratres iam lachrymas demus.
Extorſit nec opina ultima lux diem
Nobis, deſeruitq; indubitabilem

Noctem

Noctem, quo referam nunc igitur pedem
Seu quo perficiam duce ?
Solùm discipulo restitit unicum
Solamen se aliquos sumere codices
Huius præsbyteri, nobilis hoc tuæ
Sit donum Reuerentiæ.
Addo: nec uoluit tradere paginam
Librorum miseri præsbiteri Prior,
Quantumuis moriens nomine me uocans
Tercentos sineret libros.

In H. à F.

Fumificæ furiæ factus furiate furore
Ferreus à Ferro facie feriture ferina
Quid furis? ah facinus fædum fors filia ferro
Figetur fugiens pro fictile forte fluente?
Funibus aut ferro sibi non finire fereris
Fila ferox, facili fertur furiata fenestra:
Fata fera: hæc femorum fractarum flẽda figura
In feretrum fertur fatali funere fungens.

Ad eam.

Num timor, aut animus præstet tibi candida Virgo
Est dubium, impietas præstet, an ira patri.

De Morte Mag: Io: Serrau: Nob: Taru:

Occidit Aonidum Ioannes penè Sororum
Cunctarum Sapiens clarus Alumnus amans.
Heu fatum crudele, nefas crudelius, undis
Cogitur in medijs ense furente mori.
Inuolet in crines, pulset femur omnis amantum
Nunc chorus, & Sapiens quis ferat astra fera.

De morte Horatij Bassi amicissimi
Hexastichon ad eius Patrem. ptus,

Musa, heu Musa cubas? fleo, cur? mihi amicus adē
Quem non Troia tulit, non tulit Ionia.
Quis? Bassus; uah, noster Horatius? ipse; quis eià
Surripuit mi animam? mors peracerba nimis.
Pallida mors ausa ò nimium, cur tristis amicum
Non sequor? ut soler ne sequerère parens.

Disticha subscribenda Σκελετὸν.

Conspice mortalis σκελετὸν *moribunde, superbos*
Dignoscas actus huc remeare tuos.

uel

En mortalis homo nunc sum sine carne, quod es tu
Cum carne, ut fueram, iam sine carne redi.

uel

Ossa hæc terra tenet, mare neruos, aera cruorem,
Ignis habet calidum, mens colit astra poli.

uel

Mortales mortem miseros memorare morari,
Mortua mors moneat morbida membra mori.

Inferiæ ad sepulchrum Clariss. Equitis Surriani tunc Theatini.

Quæ Deus, ò quænam spectacula prompsit ab alto
In terris, quænam mira uidenda tulit:
En Surianus Equès Iacobus splendidus armis,
Qui Venetæ tenuit sæpius urbis onus.
Ingreditur sæclo nimis aspera claustra Theati
Sanctorum captus relligione patrum.

Ex illo non bis perlustrat Delficus orbem,
Quòd pater hic Sanctus soluit ad astra uolans.
Scit Deus,ò miseri mortales,condere nostra,
Quàm nos ô meliùs,nulla inaperta Deo.
Transtulit hunc sæclo,professum soluit ab omni
Errato,mirum relligionis opus,
Quem breuibus uoluit spaciari culmina olympi
Mirificus uacuum crimine quoq; Deus.

Tumulus Clariß. Tomitani.

Mortuus en Tomitanus,homo dolet omnis, ut omni
Is Melica,& Medica,Cælica & arte Deus.
Mortales miserè Tomitano uiuite casi,
Vixit ibi uitam,uiuit at inde duas.
Sic uoluère Dii.uitam Tomitane beatam
Et cælo,& terris usq; perennis agas.

Epitaphium Philomelæ Columbatæ.

Hic Philomela iacet,non quæ Luscinia facta est,
Sed quæ casta manens dicta Columba fuit.

Ad Excell. Curtium peste confectum.

Mors sequitur quacunq; meas; Anthenoris urbem
Peste cruentatam Curtius alme fugis;
Brixia post annum,quò Brixius is,quòq; tristi
Peste cruentatur,Curtius Inde cadis.
Quàm fueras sacri folii,physeosq; peritus
Quàm clarus Medicus,scit Patauina cohors.
Tu tamen à peste arriperis,uah pestis acerba
Quæ uel diuinos surripis atra uiros.
Caste pater præceptor Amans,tu iurè pererras
Cælum pro meritis,mi pater oro faue.

De septem mulieribus aqua extinctis.

Festum Melma facit Michaelis munere Diui,
Hinc inde effulgens quæq; puella uenit.
Lintre Silim paruo septem transire uolebant,
Quarta puella aderat, tresq; fuère senes.
Dum ludunt cunctæ sonitus propè, fortè phaselus
Sumpsit aquam, pauidæ quæq; sinistra tenent.
Scapha petit fundum duplici pro pondere, fundum
Exangues istæ tunc petière simul.
Dulce genus mortis, uix credimus, extitit usque
Terribilis cunctis hora suprema necis.

Epitaphium D. Cassandræ S.B.

Cesset Amor, comitas, grauitasq;, quòusq; relictæ
Natæ matris erunt grandia dona patri.
Verax sic Vates Phœbas audita referre,
Cum Cassandra animam redderet alma Deo.

Inferiæ ad tumulum Excellentiss. D. Iunii Pauli Crassi. monocolos.

Quis Podalyrium siue Machaonem
Post mirum Hippocratem, postq; Galenum, erit
Audax laudibus extollere Iunio
Paulo quis magè Crasso celeberrimo?
Hic omnes Medicos, quotquot in optimo
Congressu Pataui Nobilium virùm,
Annis, eloquio, menteq; cælitùs
Præcesit facilè iam silicernium.
Testantur sua scripta, atq; scholarium

Consensus similis, ciuis & accola
Crassum quilibet hunc prædicat omnibus
Tollendum numeris sydera desuper.
Quos certè Deus ipse annuit audiens,
Hunc tandem sibi virtutibus obsitum
Diuinis meritò asciscere Iunium
Crassum collibuit iam similem Deo.
Viuit nil minùs hic ora per omnium:
Promotor mihi diplomate nobili,
Necnon innumeris cernitur, aurea
Quos iuuit Pataui insignia sumere:
Viuit nil minùs hic, cum sibi filius
Celsus restiterit nobilis artibus
Illisme; meritò uiuere Iunium
Paulum Craßum iterum clamitat urbs, pagi.

Ad Tumulum D. Bartholemæi Basi.

Solata est mea Musa Patrem pro funere gnati,
Dum coluit Silicas usq; perennis aquas,
Nunc ubi Medoaci uarios concesit ad amnes,
Quò studeat mundi ferre quieta dolos,
Bartholemæe cadis, non tam confectus ab annis
Quàm nati curis, atq; dolore tui:
Gaude, etenim cælis tibi Horatius obuius exit,
Cuius Amor traxit te magis, atq; dolor.

De eiusdem obitu.

Concidit aprorum mastix leporumq; Dianæ
Aemulus iste nouus qui Meleager erat.
Sepostum Altheæ stipitem Mors abstulit, arsit;

Phœbem ne ſuperet curſor acerbus apris.
Aſt Hecatem Mortemq; ſimul ſpes uana fefellit,
Iam Triuia hic maior cælica iura tenet.

Tumulus Mag. Comitis D. Flaminii Sicci.

Siſte uiator, aue, non eſt mora longa, ſepulchro
Hoc oſſa Illuſtris ſunt tumulata uiri.
Flaminius Siccus generoſus Bergomi Alumnus
Hic iacet, en Pataui nulla medella ualet.
Atropos atra nimis præcidit ſtamina, nondum
Bis tactis annis, mors peracerba, decem.
En mortalis homo, quò actus, opera, atq; triumphi
Aufugiant, quò mors ſigna ſuperba trahat:
Signa cupis, uexilla petis ſupereſſe ſepulchro?
Virtutem recolas, te exhibeasq; Deo.
Iam ualeas lector, caueas, ſtudeasq; ſupremum,
(Nanq; hic te expectat) mundus obire diem.

Ad præclarum D. Bartholemæum Burchellatum uirum ſumma doctrina, ſummoq; ingenio p̃ditum.

Ludouicus Pontanus Trid.

Non mihi Pactolus radians, non diues Hydaſpes,
Et minus auriferi defluit unda Tagi.
Non quas Craſſus opes, felix quas Cræſus habebat,
Non Licini Campi, non Coridonis oues.
Phœbeæ frondes adſunt, roſeaq; coronæ,
Fonsq; Meduſæa conſpiciendus aqua:

Hæc ad te cupido uix tandem pectore mitto,
Ista tuum semper nomen ad astra ferent.
Accipe quæ Phœbus spirat, spirantq; Camænæ,
Accipe Gorgoneæ munera sacra Deæ.
En tibi, qui Latias extollis carmine Musas,
Felices adsunt Iuno, Minerua, Venus.
Iuno, Minerua, Venus tibi Burchellate fauentes
Adsunt, atq; tulit Iuppiter almus opem:
O te fortunent superi, tibi ferrea Clotho
Pensa per innumeras uoluat amica dies,
Vt Priami superes, longæui & Nestoris annos,
Temporibus cedat Docta Sybilla tuis,
Et quamquàm rauco resonet mea tibia cantu,
Tu mihi Parnassus, tu mihi Phœbus eris.
Felicem seruent te numina cuncta, fidelem
Pontanumq; tuum semper habere scias.

Doctissimo iuueni Bartholemæo Burchellato Amiciss. Bernardinus Rubeus Arim:

Ruri siue iuuat te Burchellate morari
Multa ubi iucunda, & plurima amæna tenes,
Vuis seu maturis dulcem expromere succum,
Optima quo possis condere uina cadis:
Per campos uulpes, leporesue fugare patentes,
Et timidos canibus longa agitare fuga.
Intùs siue foris pulchras tibi condere sedes,
Teq; operi instare, & semper adesse iuuat.
Seu rerum tentare occultas noscere causas,
Seu studium Medica ponere in arte tuum.

Detinet aut patria, aut te blanda moratur Amica,
Siue ſoror dulcis, caraue mater habet,
Gratulor en tibi uere inculto hoc carmine noſtro,
Et toto ex animo gaudeo amice mihi.
Verùm hæc ſi quando tua mecum mente reuoluo,
Meq; tot, & tantis cerno carere bonis,
Quas ego quas nam tunc perſentio pectore curas:
Opprimor ah quantis quot miſer inde malis.
En patria ipſe diù abſum, nec ſpes ulla uidendi,
Noſtra eſt deinde domus funere mæſta patris.
Aſſidue at quod noſtrum animum, mẽtemq; fatigat,
Sollicitat, premit, atq; acrius exagitat:
Aetatem eſt ſtudiis aptam me noſſe perire,
Nec poſſe huic tanto conſulere exitio.
Hæc ad me quid? tu nunc inquis, amice, dolorem
Exhalo narrans ſic mala noſtra libens.
Interea me abſens memori fac pectore ſerues,
Omnia qui tibi ſint numina dextra precor.

Auctoris reſponſio.

Quàm iucunda mihi fuerit tua docta poeſis,
Denotet id ſtatim noſtra camæna furens.
Non potui laxas retinere uagantis habenas
Rura per & montes libera clamat, age.
Salue iterum iucunda ſoror Rubicunda camæna,
Gaudeo te longam non timuiſſe uiam,
Lætor & aduentu, Domini cum roſcida noſtri
Perfundas lautis ſeria facta iocis.

Ipſe

Ipſe etenim ſeu rura colat reddentia, campos
Seu currat patulos dum cita præda fugit;
Siue domos, condat uè caſas, ſtudeat uel alumnis
Naturæ, Medicis, Philoſophis uè magis,
Semper amica latus nec blanda, hem, perfodit, atq;
Non mulier, vir non, hermaphrodita minùs.
Una Sophia animum macerat, corrodit, adurit,
Sola Sophia agitat, ſola Sophia premit.
Hac duce nam forſan uerſus ceciniſſe uicisſim
Lætarer miſſis nos aliquando pares.
Nanq; adeo è mediis ærumnis carmina ſoluis
Compta, ut tranquillo tempore mira putem.
Iam ſi te moueant nil tædia noſtra, precamur
Te moueat ſimilis cura nouella tua.
Plura relata tibi tribuunt incommoda ad artes,
Nec minùs impediunt plura relata mihi.
Aſt ambos meminiſſe iuuet præſentia læta,
(Quæquæ ſint) noſtros mente ſubire ſophos.
Viue diû, patienſq; ſtude, ſaluere iubebis
Noſtrates, ſcribas dulcis amice, & ames.

Idem Bernardinus Rub. Barth: Burchellato
ode dicolos tetraſtrophos.

Sic tibi artem dent ſuperi benignè,
Corpora ut poſſis medico liquore
Heu graues, triſteſq; hominum prementes
Pellere morbos.
Ut diſerta & dulciloqui Camæna

Iam potes lenire animos dolentes,
Iamq; & atras mentibus, anxiasq;
Pellere curas.
O tua ò quantum ualuit Poesis,
Perlego hanc, rursus relego, memorq;
Nuper huic promptas animus uenustæ
Commodat aures.
Dulce solamen mihi conquerenti
Non opes nunc me Attalicæ mouerent,
Regiam nec me iuuerit, nec auream
Poscere sortem.
Desinam nunquàm celebrare lucem,
Obtulit quæ te mihi prima Amicum,
Semper & nostra remanebit illa
Mente reposta.

Eidem Bern: Rubeo Barthol: Burchellati Philosophi, ac Medici Phy: Taruisini, responsio.

Dicerem multis tibi præcinendo
Iurè Bernardine tuas Camænas
Liberè antiquas meliore cantu
Vincere Musas.
Ni tibi uellem mihi consulenti
Rectiùs, morem gerere, & studere,
Rebus atq; omnem medicis nauare
Arte laborem:
Audiant Diui modo deprecantem
Te mihi, & paulùm sileant camænæ,

Tu modò cantes, Charites benignæ
Dum tibi Amicæ:
Meq; seponas celebrare uersu
Nobili, quando mea Musa serpat,
Et simul quando renuam boatum
Mundi, & honores.
Unus est uerè cupiendus omni
Mente bonos cœli, bona cuncta præter,
Ritè quem præstant bene facta, quorsum
Sanctè operemur.

F I N I S.

Patauii Laurentius Paschatius excudebat

Fr. Maximianus Beniamus Inq. Pad. uidit.

In prima parte *Sic Errata, sic corrigas.*

Pag. 3 lin. 17. *succisiuis, succisiuis* 4. 7. *hausisti, ausisti.* 7. 32. *canto, pianto.* 14. 31. *remaneat, remeat.* 16. 7. *nel centro, ne l'onde.* l. 38. *splenida, splendida.* 17. 4. *sentisse, sentiste.* l. 34. *lasa, lascia.* l. 42. *frali, strali.* 18. 28. *dici, diù.* 19. 18. *nostra, uostra.* l. 20. *sil, Sil* 20. 35. *deiespe: desespera.* l. 47. *nucilo, nuuilo* 24. 47. *Turcac, Turcas.* 26. 15. *struzzicarti, stuzzicarti.* 28. 15. *e'l, el* l. 27. *noi, uoi.*

In secunda parte pag. 3. l. 26. *compra, compta.* 4. 35. *duco, duo* 6. 55 *tumidus, fumidus.* 7. 9. *æqualis, aqualis.* l. 27. *uiuore, uiuere.* 15. 32. *repetendam, rependam.* 16. 15. *terrea, terreas* 20. 41. *audax, audax.*

98-106-17

~~H595~~
~~N479s~~
V.1

J595
N479S
V.1